

de eodem titul. text. in leg. Non solum. §. Si dominus. ff. de Usucap. text. in leg. Clam possidere in fin. cum leg. sequent. ff. de Acquir. posses. probat etiam text. recte ponderatus in leg. 3. §. Nerva filius eodem titul. & reperio quod in terminis istam rationem ponit Bald. in leg. Licet 2. lect. in finalib. verb. Cod. de Acquirend. posses. istam etiam rationem aperte voluit Socin. in leg. 3. §. Nerva filius. ff. eodem titul. 2. column. versic. Tu considera, & maxime in versic. Ex quibus inferitur, & ante eos voluit Rosfred. qui notabiliter loquitur, in Rubr. de Interdict. unde vi. 1. column. 2. Ex quibus infero, quod si quis nec animo nec corpore possideat, sed tantum per vim prohibitus sit ingredi aliquam rem, & adipisci possessionem ejus; cum forte sit hæres, vel emptor, vel alius successor particularis, qui habeat licentiam propria autoritate ingrediendi possessionem; non competit sibi hoc interdictum unde vi contra impediendum text. est notabilis in leg. 1. §. Eum qui. ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, nec animo nec corpore possidebat, ingredi autem & incipere possidere prohibebatur, non videri dejectum verius est; dejectur enim qui amittit possessionem, non qui non accipit. Adde tamen, quod si immediate ipso tempore dejectionis non probet expulsus possedis, sed ante dejectionem, debet obtinere; quia cum possessio retineatur animo, semper præsumitur possidere saltem civiliter: ita notabiliter tenet Faber. in §. Restituta, in fin. Institut. de Fideicommiss. hæred. 2. column. Item adde, quod licet principaliter non competat hoc interdictum Unde vi pro rebus mobilibus; tamen bene competit secundario & accessorie, quando res mobiles continentur in re immobili. Unde sicut datur & competit pro re immobili, ita pro re mobili in ea contenta: text. est in leg. 1. vers. Illud juncto. §. Plane. ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, illud utique in dubium non venit interdictum hoc ad res mobiles non pertinere: Plane si qua res in fundo vel in ædibus, unde quis vi dejectus est earum etiam rerum nomine interdictum competere, non est ambigendum, text. in §. Si fundus, & in §. Quod autem ait prator, ejusdem leg. text. in leg. Merito eod. titul. Item adde, quod si vertatur dubium super damno, quod possessor passus est per violentiam adversarii in prædictis rebus, stabitur juramento ipsius possessoris expulsi, facta taxatione à judice secundum qualitatem personæ: text. est in leg. Si quando, Cod. Unde vi, text. in cap. fin. Quod metus causa, & utrobique vide latè per DD. de materia: & idem expressè disponit lex 9. in fin. titul. 10. part. 7.

182] Item adde, quod agenti interdicto Unde vi vindicatione, & fiet sibi restitutio: iste est ca-

non obstat exceptio dominii; imò ante omnia spoliatus est restituendus: Unde si reus conventus excipiat de dominio, & offerat se in contenti probare, non est audiendus; sed probata violentia, statim debet fieri restitutio, reservato jure dominii & proprietatis ipsi reo: text. est capitalis in leg. Si quis ad se fundum, versic. 1. Cod. ad leg. Juliam de vi, ibi: Ante omnia violentia causam examinari præcipimus, & ibi notat Gloss. ordinaria in verb. Violentia, in princ. Bartol. 2. column. prope finem Jacob. Butr. 1. col. post princ. 1. opposit. Alber. in princ. Angel. 3. col. versic. Tertio casu, text. in leg. 1. Cod. Super vim vel alio modo, text. in leg. Si maritus, la 1. C. de Donat. inter virum & uxorem, text. juncta Glos. & ibi Alber. Angel. & communiter DD. in leg. 1. in princ. versic. Hoc interdictum. ff. de Vi & vi arm. text. in cap. 1. & ibi comm. DD. de Restit. spol. text. in cap. In litteris eodem tit. ibi: Quia prado etiam est secundum rigorem juris restituendus, & probant omnia jura illius tituli: & idem hodiè disponit lex fin. titul. 10. part. 7. tenet Bartol. in leg. Naturaliter. §. Nihil commune. ff. de Acquirend. posses. 2. column. in fin. num. 3. & super eo communiter DD. idem Bartol. in leg. Si de vi, in fin. ff. de Judic. & ibi communiter DD. tenet etiam Cin. Paul. Jas. & communiter DD. in leg. 2. Cod. de Edict. divi Adrian. tollen. ubi ponunt generalem doctrinam & theoreticam, quod licet in judicio possessorio adipiscenda regulariter obstat exceptio dominii, quando in contenti offertur probanda, argumento text. in leg. 3. §. Ibidem. ff. Ad exhibend. & in leg. Ille à quo. §. Si de testamento. ff. ad Trebellian. & in leg. Si is à quo in princ. ff. Ut in possess. legat. tamen in judicio possessorio recuperanda non admittitur, etiam si in contenti veniat probanda: facit etiam Gloss. notabilis, & ejus doctrina in leg. fin. in fin. ff. de Rei vendic. ubi dicit, quod ubi remedium possessorium datur actori in pœnam rei conventi, non admittitur exceptio dominii, etiam si in contenti veniat probanda: de qua glossa dixi in interdicto adipiscenda. Et istam conclusionem & doctrinam, quæ habet, quod agenti interdicto recuperanda non obstat exceptio dominii, amplia & extendit duobus & viginti modis, quos ponit & cumulat Rip. in dict. §. Nihil commune, 8. column. n. 46. cum sequentibus. Item adde, quod in tantum spoliatus ante omnia est restituendus, quod licet non intentet remedium possessorium recuperanda, sed tantum remedium petitorium rei vindicationis; & non probet dominium, quod est fundamentum illius actionis, sed probet solum spoliationem sibi factam ab adversario; debet obtinere in ipsa rei vindicatione, & fiet sibi restitutio: iste est ca-

sus unicus in jure in leg. Si quis emprionis. §. Sed hæc contra super illis, Cod. de Præscrip. 30. vel 40. annorum, quem ad hoc reputat singularem & unicum Bartol. in princ. leg. & Bald. ibi, in princ. & Angel. ibi, 2. column. num. 4. notat etiam ad hoc ibi Gloss. ordinaria Salyc. & communiter DD. illum etiam ad hoc dicit unicum Angel. in leg. 1. §. Hoc interdictum, el 1. in fin. ff. de Vi & vi armat. notat etiam & commendat Bartol. Paul. Alexand. & communiter DD. in leg. Si alienam. ff. Solut. matrim. Imò quod magis est, in tantum causa spoliationis est privilegiata; ut actor qui dicit se spoliatum, si intentavit hoc remedium recuperanda possessionis, non possit ab adversario conveniri vel reconveniri quovis alio judicio vel actione reali vel personali, nisi super alia spoliatione quam ipse actor commisisset in alia re: text. est notabilis in cap. fin. de Ordin. cognit. cujus verba sunt, super spoliatione conventus adversus restitutionem petentem, non est nisi super questione spoliationis si eum reconveniat audiendus, & ad hoc eum notat & commendat ibi Glossa ordinaria, Innocent. Hostiens. Joan. Andr. Card. Abb. Ant. Anchar. Imol. & communiter DD. Bartol. in leg. Naturaliter. §. Nihil commune, 7. column. in princ. 1. combination. ff. de Acquir. posses. & ibi communiter repetentes: idem Bartol. in leg. Si quis ad se fundum, Cod. ad leg. Juliam de vi, 2. column. num. 2. & ibi Angel. 3. column. in medio, & communiter alii DD. (b)

Limita tamen istam conclusionem, quæ habet, quod agenti interdicto unde vi non obstat exceptio dominii, sed ante omnia spoliatus est restituendus: ut non procedat. Primò quando ipse actor agens hoc remedium possessorio recuperanda, patitur super illa exceptione dominii procedi; quia tunc, probato dominio, actor excluditur: ita probat text. in cap. 1. de Restitut. spoliat. & ibi tenent communiter DD. notat etiam & commendat Bartol. in leg. Si quis ad se fundum. Cod. ad leg. Juliam de vi, 2. column. prope finem, & ibi Jacob. Butr. in princ. Angel. 3. column. versic. Tertio casu, per quos vide bonam rationem: Idem Bartol. in leg. Si duo patroni. §. Idem Julianus, 2. column. num. 10. ff. de

Jurejur. ubi bene declarat: Jacob. Butr. notabiliter in leg. Incerti juris, Cod. de Interdict. 3. col. post principium, versic. Cave tamen Paul. de Castr. in leg. 2. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. fin. col. prope finem, idem Paul. in leg. Si de vi. ff. de Judic. 5. column. in princ. Angel. in leg. 1. §. Hoc interdictum, el 1. ff. de vi & vi armat. num. 4. Contrarium tamen tenet expressè Bald. qui subtiliter loquitur, in leg. Ordinarij, Codic. de Rei vendic. fin. col. n. 14. ubi dicit, quod etiam si non replicetur, sed patitur procedi super exceptione dominii, quod ante omnia actor spoliatus est restituendus; quia hæc est allegatio juris, & consistit in mera & propria natura ipsius interdicti recuperanda, & ideo exceptio dominii non procedit, licet non interveniat replicatio. Nec obstat secundum eum text. in dict. cap. 1. de Restit. spol. in quo se fundat communis opinio; quia ibi expressè actor voluit admittere reum opponentem de dominio, & super eo litigare. Sed hoc non obstante, teneas superiorem communem doctrinam; quia eadem ratio est quando tacite consensit actor admittendo exceptionem dominii, & probationes fieri super eo: & ex ista ratione reprobatur sententiam Bald. Aretin. in dict. §. Nihil commune, 4. column. in med. versic. Et quia, ubi notabiliter loquitur, & ibi etiam tenet Rip. 11. column. num. 72.

Secundò limita; nisi agenti possessorio recuperanda obstat notorius defectus proprietatis; quia de jure communi non potest habere dominium in illa re: text. est in cap. Ad decimas, de Rest. spol. lib. 6. ubi Episcopus vel Clericus spoliatus quasi possessione decimandi extra suam diocesim, non debet restitui, quia de jure communi habet præsumptionem contra se: & ad hoc illum text. notat ibi Glos. ordinaria, Anchar. & communiter DD. & ad hoc etiam illum text. notat Bald. in dict. leg. Naturaliter. §. Nihil commune, in Addition. suis; cujus lectura hodiè non reperitur, & refert & sequitur ibi Alexand. n. 21. Salycet. qui notabiliter loquitur in leg. Si quis ad se fundum, Cod. ad legem Juliam de vi, 3. col. 7. opin. Paul. in leg. Si dev. ff. de Jud. 5. column. in fin. versic. Decimus casus. Bald. notabiliter in leg. 1. Cod. de Apellat. fin. column. num. 11. (c) Ex quo

(b) Hanc regulam latissimè prosequitur Rip. in leg. Naturaliter. §. Nihil comm. n. 46. Bolognet. 2. part. ex num. 95. Menoch. de Recuperanda posses. remed. 1. per totum. Portius lib. 2. Conclusion. concl. 44. Socin. reg. 466. Gabr. lib. 5. conclusion. 1. Perez in Rubr. titul. 14. lib. 3. Ordinam. & in leg. 5. eodem titul. & lib. 1. gloss. verb. Luego restituayan.

(c) Quam etiam limitationem confirmat Gloss. in cap. Ad decimas, de restit. spoliat. in verb. Præsumatur, versic. Idem videtur, lib. 6. quam sequuntur Cardin. in cap. In litteris de restit. spol. num. 9. & communis quam resolvit Covarrub. in 4. 2. part. cap. 7. §. 5. num. 10. & in practi. cis, cap. 23. num. 4. Greg. in leg. 27. tit. 2. part. 3. gloss. verb. Que le entregasse, Menoch. de Anton. Gomez, ad Legem Tauri. V v 3



quo clarè subinfertur, quòd in omnibus casibus, in quibus exceptio domini opposita per violentum possessorem contra spoliatum est manifesta & notoria in jure vel in factò, putà quia constat de dominio excipientis per sententiam definitivam, latam contra agentem ante ipsam spoliationem; tunc non debet fieri restitutio: ita expressè & singulariter tenet Cuman. in dict. §. Nihil commune, 3. column. versic. Ex hoc, & ibi latè Alexand. 6. & 7. column. ubi dicit hanc esse magis communem opinionem; & istam dicit magis communem opinionem Jas. ibi, 9. column. num. 49. idem etiam tenet Paul. in leg. Permissit. in fin. eodem titul. idem Paul. melius quàm alibi in leg. Si de vi, penult. column. in medio, versic. Secundo casu. ff. de Judic. & ista opinio tanquam communis est tenenda, (d) licet Bartol. in dict. §. Nihil commune, 2. column. num. 3. expressè teneat contrarium: sed reprobatur communiter à DD. idem esset si constaret per confessionem partis; quia agens interdictò recuperandæ confiteatur adversarium esse dominum, sed hoc non obstante petit restitutionem sibi fieri: quia tali casu obstat ei exceptio domini: ita tenet notabiliter Innocent. Joan. Andr. in cap. Constitutus, de filiis presbiterorum, tenet etiam & reputat singulariter ibi Card. Anch. Abb. & communiter DD. tenet etiam Angel. in leg. Dolo facit, n. 2. ff. de Doli except. Angel. in leg. 1. §. Hoc interdictum, el. 1. ff. de Vi, & vi armat. num. 5. tenet etiam Paul. in dict. leg. Si de vi, 5. column. vers. Nonus casus. ff. de Judic. in cujus confirmatione facit text. in cap. Significasti, de divo, text. in leg. 1. §. Rediguntur. ff. Quorum legat. text. in leg. Dolo. ff. de Doli except. (e)

Recup. remed. num. 113. & num. 222. Lancellot. de Attentatis, 3 pag. cap. 24. quest. 1. num. 28. cum seq. Contrariam tamen sententiam defendunt Francus num. 9. in dict. cap. Ad decimas, Gomez. in Reg. de non judicando, quest. 5. ad fin. & alii relati à Puteo. lib. 2. dec. 184. num. 8. Berol. in dict. cap. In litteris, num. 74. Corn. num. 70. Fabro. numer. 47. Bologn. num. 24. quas opiniones conciliat ex mente Panormitani, & aliorum, Ant. Gabr. lib. 5. Communis opinio tit. de Restit. spol. concl. 1. num. 10. Verior tamen concordia est, ut prior opinio procedat quando notorius tituli defectus spoliato obstat & fundat intentionem spoliantis, posterior verò quando spoliantis intentionem non fundat: pro qua interpretatione facit text. in leg. 1. §. Quia me vi, in leg. Colonus, & in leg. Cum fundum, de vi & vi armat. in §. Recuperandæ inst. de Interdict. in leg. Sequitur. §. Si tu, versic. Si dominus, de Usucap.

(d) Idem est, si per instrumentum publicum, & contra id nihil obijciatur; quia tunc spoliatus non erit restituendus, ut habetur in Rota decisione, sub titulo de Restit. spoliat. dec. 16. in novis. & ex variis probat Menoch. de Recup. remed. 1. num. 223.

(e) Nam cum confessio sit verior & potentior probatio omnibus, leg. fin. Cod. de Fideicommiss. leg. Generaliter. §. Sed juramentum, versic. Si quidem, de rebus creditis, leg. Generaliter, Cod. de Non n. pec. ut latè tradit Mascard. de Probation. quest. 7. per totam, si per confessionem constat de dominio spoliati, spoliator non erit restituendus; ut cum communi resolvit Menochius, de Recup. remed. 1. num. 215. cum plurib. sequentib.

(f) Verùm in hac quæstione tres fuerunt Doctorum opiniones: Prior. Azor. & Joan. quos refert

Tertiò limita, quòd ita demum spoliatus ante omnia est restituendus, quando ageret tantum interdictò recuperandæ pro restitutione rei: secus verò si ageret simul petitorio & possessorio, accumulando rei vindicationem, per quam dicit se declarari dominum, & remedium possessorium recuperandæ, per quod petatur restitutio rei; quæ cumulatio admittitur, quia cessant omnes regulæ impeditivæ, ut in leg. Cum fundum, versic. fin. ff. de Vi, & vi armat. & ibi Gloss. ordinaria finalis, & communiter DD. & plenè & magistraliter Bartol. in dict. leg. Naturaliter. §. Nihil commune, 7. column. num. 17. & 9. column. 3. combination. num. 22. qui tres regulas impeditivas refert in leg. Edita, Cod. de Edendo, & in dicto. §. Nihil commune, & ibi communiter DD. probat text. & ibi tenet Gloss. ordinaria, & communis opinio in cap. Cum dilectus de caus. poss. & propriet. quia tunc reus conventus & sic violentus possessor potest objicere de dominio, & si probaverit non tenetur restituere, sed defendendus est in sua possessione, quantumcumque violentia: ita probat text. in cap. Cum ecclesia sutrina, de caus. possess. & prop. text. in cap. Cum super eod. titul. & in expressò istam conclusionem tenet Gloss. ordinaria in cap. Constitutus, de filiis, præf. in glos. 2. & ibi Abb. 2. col. num. 7. & alii DD. facit etiam Glos. in cap. Pastoralis, in glos. magna, in fin. & in cap. Cum dilectus, de caus. pos. & pro istam conclusionem tenet Paul. de Castr. in leg. Si de vi, ff. de Jud. penultim. column. post princ. Angel. in leg. 1. §. Hoc interdictum, el. 1. numer. 7. ff. de Vi, & vi armat. (f) Quartò limita quod ita demum spoliatus ante omnia debet restitui, præterquam si res-

restitutio rei petita non posset fieri sine irreparabili præjudicio; quia tunc exceptio domini per reum opposita impedit fieri restitutionem, si in continenti veniat probanda: text. est notabilis in cap. Litteras, de restitut. spol. ubi, si maritus petit se restitui ad quasi possessionem uxoris, quæ ab eo divertit, & uxor opponat matrimonium esse contractum in gradu prohibito, & offert se probare in continenti; non debet fieri restitutio, quia esset periculum animæ propter copulam: & idem est quando esset tanta savitia viri, quòd probabiliter timetur de morte uxoris, cui non sit plene consultum per cautionem vel satisfactionem mariti: & ad hoc illum textum reputat ibi singulariter Abb. 2. col. ult. nor. & communiter alii DD. & illum text. in prædicto casu finali dicit unicum Abb. in cap. 1. de Divortis. Ex quo text. & superiori conclusionem referebat singulariter Paul. de Castr. in leg. 2. in fin. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. quòd si ageretur interdictò recuperandæ pro aliqua re fortissima & difficilis recuperationis, cujus proprietates seu dominium non esset salvum post restitutionem, ut quia esset castrum vel fortalitium; tunc bene admitteretur exceptio domini, si in continenti probetur: argumento text. in dict. cap. Litteras, & illud dictum Paul. sequitur & exaltat Jas. ibi, in dict. leg. 2. de Edict. divi Adrian. toll. 1. column. in med. dicens non esse ab alio tactum: tenet etiam & commendat Alexand. in dict. §. Nihil commune, 10. column. num. 21. & ibi Rip. 12. column. num. 75. Et ista sunt valde substantiales & principales limitationes in materia: alias tamen quinque & viginti limitationes ponit Rip. in dict. §. Nihil commune, 10. column. num. 69. quas vide per te: & quinquaginta limitationes ponit Anton. Corset. in tract.

fert Bart. §. Nihil commune, num. 14. existimantium, possessorium & petitorium numquam posse cumulari, sed semper possessorium præcedere debere: Alia fuit Petr. & Cin. relati à Bartol. ubi supra, asserentium omne possessorium cum petitorio cumulari posse. Quæ duæ opiniones communiter ab interpretibus rejiciuntur, & prior convincitur ex Juribus pro secunda adductis, & secunda ex juribus adductis pro prima: Unde fuit communi ferè omnium consensu admissa sententia Martin. distinguens inter possessorium adipiscendæ & recuperandæ, & interdictum retinendæ; nam duo priora concurrere possunt cum petitorio, de quibus intelligenda sunt jura citata pro opinione Petr. Ultimum verò non concurrat cum petitorio, de quo intelligenda sunt jura citata pro opinione Azor. & Joan. quæ distinctio probata est à Romano Pontifice, in cap. Pastoralis, de causa possessionis, & proprietatis, eamque defendunt Bartol. & ceteri magis communiter, ut testatur Jas. in dict. §. Nihil commune. num. 97. Rip. 131. Bolognet. 1. part. n. 63. & 2. part. n. 266. ex quibus omnibus colligunt regulam, quòd petitorium & possessorium retinendæ concurrere non possunt: quæ limitari solet sex casibus, quæ colliguntur ex sex interpretationibus traditis ab Accursio in dict. §. Nihil commune, num. 16. ubi universum tractatum concursus & cumulationis petitorii possessorii septem combinationibus comprehendit.

(g) Sic etiam hanc legem Partit. intellexit Gregor. ibi, verb. Que le entregasse, & vide Pelaez de Mier. in tractat. Majorat. 3. part. quest. 5. num. 14.

Fallentiarum, ad Regulam, Spoliatus ante omnia restituendus est: posita in 2. volum. tract. fol. 103. 4. column.

Sed attende quod contra prædicta indistinctè & subtiliter facit leg. 27. titul. 2. 3. part. quæ apertè vult, quòd agenti remedio possessorio recuperandæ, & sic interdictò unde vi, benè obstat exceptio domini, saltem quando incontinenti venit probanda: quæ lex in hoc videtur terribilis, & etiam apud peritissimos valde dubia. Sed ea non obstante, adhuc teneo superiorè communem conclusionem, maxime, cum sit approbata per aliam legem Partit. posteriorè, scilicet leg. fin. tit. 10. part. 7. Et ad prædictam leg. 27. titul. 2. 3. part. respondeo valde notabiliter sequentibus modis: Primò modo, quòd illa lex intelligatur quando actor agit interdictò adipiscendæ possessionis, quo casu admittitur exceptio domini si incontinenti veniat probanda. (g) Vel aliter, quòd illa lex intelligatur, quando agens interdictò recuperandæ dicebat se dominum, & intentabat & cumulabat simul petitorium & possessorium recuperandæ; quia tunc reus conventus potest opponere exceptionem domini, & si offerat se incontinenti probare, admitti debet & impeditur restitutio possessionis: quod patet, quia supra illa lex in hoc casu locuta est; unde quod postea dicit ad illud debet referri; & secundum hoc est ibi lex Partit. expressa pro tertia limitatione notabili & principali, quam supra proximè posui.

Item adde, quòd in tantum spoliatus debet restitui in sua possessione per hoc interdictum unde vi, ut procedat nedum quando spoliatus est præsens & agit, verum etiam si sit absens, & aliquis propinquus, amicus, colonus, inquilinus, servus retinebat pro eo possessionem: nam



nam si talis detentator sit expulsus, & possessio fuerit domino ablata, poterit ille detentator qui fuit expulsus, etiam sine mandato, imò licet non sit legitima persona standi in iudicio, quia servus, agere hoc interdicto *unde vi* nomine absentis, ut restituatur possessio domino absentis: & non solum hoc potest petere ipse detentator, imò quilibet alius tertius, etiam servus, qui non detentabat: textus est notabilis in leg. 1. Cod. Si per vim vel alio modo, & ibi notat & commendat Bartol. Cin. Bald. Salycet. & communiter DD. nec distinguitur an talis possessor sit absens ex causa necessaria probabili, vel voluntaria, secundum Gloss. ibi, in verb. Quolibet modo, & communiter DD. Imò talis amicus vel servus poterit agere nomine absentis sine aliqua cautione de rato: ita ibi notabiliter Salyc. 1. column. num. 4. quod videtur probari ex illa leg. cum de facili servus qui nihil habet in bonis non posset reperire fideiussores: unde videtur quod illa lex hoc novum inducat in casu spoliationis, ut illa personae possint agere sine cautione: & ista opinio mihi videtur verior, licet Gloss. ibi in verb. Servi, in fin. & ibi Bart. Cin. & magis communiter DD. teneant contrarium.

185 Item adde, quod istud interdictum datur & competit haeredibus active; unde mortuo possessore, vi dejecto & expulso, haeredes & successores ejus possunt agere hoc interdicto pro recuperanda possessione, quae defuncto fuit ablata, & pro totali interesse, pro quo ipse defunctus potuit agere: text. est in leg. 1. §. Interdictum hoc. ff. de Vi, & vi armat. facit text. in leg. 1. §. Haeredem. ff. de Privatis delictis, text. in leg. Quod diximus, §. 1. versic. Hac actio. ff. Quod metus causa, text. in §. Non autem, vers. Sed haeredibus, Instit. de Perpet. & tempor. action. Similiter etiam transit contra haeredem ejus qui commisit violentiam, non tamen ut intentetur hoc interdictum *unde vi*, sed actio in factum, si aliquid ad eos pervenit, non alias; unde agitur contra eos pro recuperanda ipsa re, si ad eos pervenit, & pro recuperando eo quod ex bonis possessoris expulsi ad eos pervenit, non verò agetur contra eos pro aliquo interesse vel damno quod possessor expulsus passus fuit, cum hoc non pervenerit ad praedictos haeredes expulsi: text. est in leg. 1. §. final. ff. de Vi, & vi armat. cujus verba sunt, ex causa hujus interdicti in haeredem & bonorum possessorem ceterosque successores in factum, actio competit in id quod ad eos pervenit: text. in leg. Si plures: eod. titul. text. in leg. 3. §. Hac actio, eod. titul. facit text. in dict. leg. Quod diximus, §. fin. ff. Quod met. caus. text. in leg. In haeredem. ff. de Calum-

nia, text. in leg. 1. §. fin. ff. Ne vis fiat ei text. in leg. Sicuti pena. ff. de Reg. jur. text. in leg. unic. in fin. Cod. de Delict. defunct. text. in leg. Haeredem. ff. de Dolo, & tali casu competit perpetuo, cum detur pro eo quod ad eos pervenit, ut in dictis iuribus.

Item adde, quod istud interdictum *unde vi* 186 non datur contra particularem successorem: unde si ille qui commisit violentiam, vendidit, vel donavit alteri illam rem, vel quovis alio titulo oneroso vel lucrativo per contractum inter vivos vel per ultimam voluntatem alienavit, non poterit primus possessor expulsus agere hoc interdicto contra illum tertium particularem successorem, sed tantum contra expulso-rem qui violentiam commisit, licet rem ipsam non possideat: text. est notabilis in leg. Cum à te. ff. de Vi, & vi armat. cujus verba sunt, cum à te vi dejectus sim: si quis vi eandem possessionem possidere coeperit, non possum cum alio quam tecum interdicto experiri: quem text. ad hoc notat ibi Gloss. ordinaria Bartol. & communiter DD. Angel. in leg. Si vi met. la 1. ubi dicit illam legem eod. titul. Cujus ratio est: quia regulariter interdicta sunt remedia personalia: text. est in leg. 1. versic. penult. ff. de Interdict. cujus verba sunt, interdicta omnia licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt, & ad hoc notat ibi Bart. Albert. Angel. & communiter DD. & licet alia interdicta sint in rem scripta, istud tamen est merè personale, ut aperte probat text. in dict. leg. Cum à te. ff. de Vi, & vi armat. & ibi communiter DD. unde cum sit remedium merè personale, meritò non transit contra particularem successorem, ut in leg. final. §. final. ff. de Contrahen. empr. cum similib. Quod intellige quando primus violentus possessor & dejiciens est solvendo; alias secus: argumento text. in leg. Itaque furto in princip. ff. de Furtis ita Gloss. ordinaria in dict. leg. Cum à te, & ibi Bartol. & DD. Angel. in dict. leg. Si vi me, 2. column. eodem titul. idem Angel. in leg. Si de fundo, eod. titul. in fin. Quod tamen subintelligo pro re: non verò pro interesse; contra expulso-rem autem indistinctè potest agere pro re, & similiter pro interesse, modò possideat rem ablatam, modò non, etiamsi sine dolo vel culpa amiserit possessionem: text. est in leg. Si vi me la 2. ff. de Vi & vi, armat. & ibi Bartol. Angel. & communiter DD. vel poterit agere contra tertium rei vindicatione, vel alio remedio reali competenti, cujus probatio est difficilis. Sed hodiè de jure Canonico & ejus aequitate inductum est, quod possit violenter expulsus agere contra quemlibet tertium possessorem, eo casu quo scienter habuit rem à praedicto violento

pos-

possessore; unde secus est si ignoranter ab eo habuisset rem: textus est notabilis in cap. Sa-pè de Restit. spol. & ibi Glos. ordinaria Innocent. Hostiens. Abb. Anton. Cardin. Anchar. & communiter DD. Gloss. in cap. Cum ad sedem, & ibi communiter Scribentes eod. titul. Nec obstat si dicatur, quod violentia ita afficit rem, quod non potest usucapi vel praescribi, nisi redeat in potestatem primi possessoris à quo fuit ablata, ut in leg. Certè. §. Julia. ff. de Precar. unde non videtur esse vitium merè personale, & per consequens remedium non deberet esse personale: Quia respondendo, quod illud est verum quoad effectum usucapionis & praescriptionis, quia illud vitium afficit rem adeò, quod non potest usucapi nec praescribi nisi purgetur vitium violentiae redeundo in potestatem possessoris expulsi; & licet res furtiva debet reverti in potestatem domini, ut in leg. Sequitur. §. Quod autem. ff. de Usucap. cum similib. tamen res vi ablata debet necessario reverti in potestatem possessoris expulsi: text. est singularis & unicus in jure in dict. leg. Certè. §. Julianus. ff. de Precario, secundum Bart. Angel. & DD. ibi Ita tenet Bart. & communiter DD. in leg. Sequitur. §. Si dominus. ff. de Usucap. Paul. de Castr. & Doctor. in §. Quod autem ejusdem leg. Bartol. & DD. in leg. Si partem, Cod. de Usucap. pro empr.

187 Item adde, quod licet de jure antiquo pro vim dejectus atque spoliatus tantum possit agere contra violentum possessorem interdicto *unde vi*, ut supra dictum est; tamen hodiè de jure novo Codicis poterit agere remedio leg. Si quis in tantam, Cod. Unde vi, qua cavetur, quod si invasor sit dominus, amittat dominum illius rei, & applicetur expulso; si verò non sit dominus, tenetur ei reddere possessionem ablatam, & insuper aestimationem ejusdem rei: & ad hoc notat ibi Glos. ordinaria & communiter DD. text. in §. Sed ex constitutionibus, Instit. de Interdict. text. melior & clarior ceteris in §. Quia tamen Instit. bonorum raptorum, & idem disponitur in leg. 10. titul. 20. 7. part. & in leg. 2. tit. 14. lib. 3. Ordinam. Et si quaeras, in quo erit hodiè utile interdictum *unde vi*, cum materia sua; cum plenius sit spoliato consultum per text. in dict. leg. Si quis in tantam, & per jura similia? maxime, quod in interdictum *unde vi* requirit dolum in committente violentiam, scilicet, quod sciat rem nec possessionem sibi non pertinere; remedium verò text. in leg. Si quis in tantam cum similib. procedit & competit sine dolo, hoc est, licet credat rem vel possessionem ejus ad se pertinere, & sibi licere de jure rem propria autoritate auferre, vel alio errore ductus fecerit: ita text. expressè in dict. §. Quia tamen,

Instit. vi bonorum rapt. & tenet Gloss. ordinaria in dict. leg. Si quis in tantam in gloss. magn. in finalib. verb. & ibi communiter DD. Rursus etiam, interdictum *unde vi* est annale, ut supra dictum est: remedium verò text. in dict. leg. Si quis in tantam cum similib. & est perpetuum, & durat per 30. annos, cum sit civile, ut tenet etiam Gloss. in dict. leg. Si quis in tantam in gloss. magn. in fin. & ibi communiter DD. Respondeo, quod in electione possessoris expulsi erit unum vel alterum remedium eligere, & quodlibet eorum potest esse suo casu utile: nam interdictum *unde vi* competit ad restitutionem rei ablatæ, & insuper ad totale interesse, quod potest esse longè majus quam vera aestimatio & valor rei, ut supra dixi & probavi: remedium verò text. in dict. leg. Si quis in tantam, cum similib. competit contra spoliato-rem, ut amittat ipsam rem si fuerit dominus ejus, vel condemnatur in valorem & aestimationem ejus, si non fuerit dominus, etiam nullo probato interesse per actorem expulsam: & sic valdè utile erit sibi eligere inter ista remedia.

Item adde, quod si quis relinquat rem quam 188 possidebat vacantem, taliter quod per absentiam ejus omnem possessionem amittit, tam civilem quam naturalem, his modis quibus de jure perdi potest, & alter eam ingressus est, sciens rem esse alienam, & ad eum non pertinere, licet ignorat ejus sit; tunc, licet de jure antiquo nullum competeret remedium vel interdictum primo possessori, qui vacantem rem reliquit: quia non *Unde vi*, cum illud requirat violentiam commissam in personam; non *Uti possidetis*, cum ipse nullam possessionem habeat, cum utraque vacat; non *adipiscenda* cum semel jam habuit possessionem, & fortè non habuit rem ex titulo universali ultimæ voluntatis, à quo causatur illud interdictum *adipiscenda*, ut dixi suo proprio loco; & sic de jure antiquo nullum in hoc casu erat in jure proditum remedium: hodiè tamen per Justinianum est novum introductum remedium, scilicet, quod detur & competat primo possessori, qui rem vacantem reliquit, remedium text. in leg. fin. Cod. Unde vi, quo teneatur ingressus eam restituere primo possessori cum totali interesse, tanquam si violenter à possessore rem auferre, & denique tenetur ad omnia quæ veniunt in interdicto *unde vi*: & ille text. in sua decisione non est alibi, cum sit una de decisionibus Justiniani, quam ibi ad hoc notat & sic intelligit Gloss. ordinaria in verb. Vacuam, versicul. Tu dic. & ibi Bart. Petr. Cin. Alber. Bald. Salyc. & communiter DD. Azor. in Summ. illius titul. penult. column. n. 3. 1. Rosfred. in Rubr. de Confit. cum querebatur quæ est ultima